

pelleret et adstringeret, recusantes autem etiam per onera et gravamina, aliaque remedia etiam indebita et saluti contraria arctaret et compelleret, in eorundem Nobilium damnum, libertatisque et consuetudinis eorum praeiudicium satis magnum. Dehinc volentes iidem Procuratores dictorum Nobilium in personis eorundem Actionem eorum praemissam meliori efficaciorique documento comprobare, tres litteras, duas videlicet Serenissimi et potentissimi Principis quondam Domini Mathiae Regis Hungariae et Bohemiae &c. gloriosae memoriae, Domini nostri, unam videlicet Confirmationalem, alteram vero Praeceptoriam, et tertiam Magnifici Ulrici Ciliae, Orthomburgae Zagoriaeque Comitum nec non Regni Sclavoniae Bani, Confirmationalem, privilegialiter confectas: Quarum prima, videlicet confirmationalis, pendenti et Authentico duplici sigillo suo per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Stephani Ecclesiarum Colocensis et Bachiensis Archi-Episcopi Locique eiusdem Comitum perpetui, Aulae suae summi Cancellarii fidelis dilecti Anno Domini 1466 quinto Idus Martii, Regni sui Anno nono, Coronationis vero secundo edita, habens in se confirmative tenorem quarundam Litterarum Illustris Principis quondam Domini Joannis, Patris Mathiae Regis Budae in Vigilia festi Nativitatis B. Joannis Baptistae, sub sigillo eiusdem, quo ut Gubernator Hungariae utebatur, Anno Domini 1449 impendenti communitarum, seriem et continentiam quarundam Litterarum adjudicatoriarum Vice Banorum Regni Sclavoniae ac Comitum et Judicum Nobilium Comitatus Crisiensis, Crisii sexto die feria secunda post octavas festi Epiphaniarum Domini, Anno eiusdem 1446. emanatarum, habentes inter caetera in se transumptive tenorem quarundam duarum Litterarum, unius scilicet Serenissimi Principis quondam Domini Sigismundi Regis patenter, et alterius Capituli Ecclesiae Chasmensis privilegial. exinde statutor. Quarum prima, videlicet memorati quondam Domini Sigismundi Regis, Litteram in Thatha feria quinta proxima ante festum Penthecostes 1430. Regnorum autem suorum Anno Hungariae &c. 44. Romanorum 20. et Bohemiae Decimo, ad propriam suam Commissionem maiori suae Majestatis sigillo consignata declarabat, quod praefatus quondam Dominus Sigismundus Rex consideratis et diligenter praemetitis fidelibus et fidelium servitiorum gratuitis meritis et acceptis complacentiis fidelium suorum Nobilium Joannis filii Osl de Herbothya et Magistri Michaelis de Raven Causarum suarum procuratoris et sedis Crisiensis Protonotarii, quibus iidem in diversis locis et temporibus opportunis Maiestati suae se ipsos gratos reddere studuissent et acceptos, supplicationibusque eorundem per ipsos Culmini suo in personis et Nobilium nominibus Universorum Castri maioris Kemlek devote oblatis, exauditis et admissis, possessiones et terras ipsorum Nobilium Jobbagionum dicti Castri a nexu et iugo omnique conditionaria servitute praedicti Castri et ab eodem Castro eximenda separandas, sequestrandas, distinguendas et removendas, eosdemque Universos Nobiles Jobbagiones Castrenses verae Nobilitatis titulo insigniendos, praemissas Universas et totales possessiones et terras eorum cuilibet ipsorum, sicuti pro tunc possedissent et in eorum dominio pacifice extitissent. Novae suae Donationis et sincerae Nobilitatis titulo simul cum earum cunctis pertinentiis et utilitatibus, in eorundem et successorum ipsorum perpetuam adscripsisset haereditatem, salvis iuribus alienis; eosdem etiam Nobiles Jobbagiones suos Castrenses et eorum posteros omnibus Privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus et libertatibus ad instar caeterorum Regni sui Sclavoniae verorum Nobilium, perpetuis futuris temporibus uti, frui et gaudere debere, de